

inquit eo, quem diximus loco, *tantum dominis consuluisse, nouitquam dedecus muliebri vindicasse, manifestum inde est, quod mulier quaecunque impune proprio seruo concubuerit.* Contra quae ita disputata putaret forsitan quis, hoc ideo factum esse, quod ipsa sibi obnunciare non poterat. Verum haec dubitatio parum habet, quo se commendet. Nam legislator, quo minus alia poena harum mulierum amores, quasi septo aliquo, circumdaret inque eas animadverteret, quis, quaeso, erat qui prohiberet? Mihi alia haerent, quae ancipitem relinquunt animum. Dixit quidem doctissimus ARNALDVS, mulieres has, quae se propriis iunxerunt seruis, nulla affici poena. Vnde vero hoc constat? Multa enim silentur a priscis scriptoribus, in primis historicis, quibus sat est, vel summa legum capita in transcurso indicasse leuiterque strinxisse, quae tamen constituta & in vsum deducta fui esse nemo ignorat. CONSTANTINVM certe scimus grauissime ad populum ita scripsisse: *Si qua cum seruo (intellige suo, quod & additum in Codice Iustiniano legimus) occulte rem habere detegitur, capitali sententia subiugetur, tradendo ignibus verberone* (k). “At haec, dicit quis, CONSTANTINI sunt, ideoque hoc ipsum CLAVDII oratione iam constitutum vix videri potest, quum si fuerat, opus non fuisset, noua CONSTANTINI Imperatoris sanctione.” Sed nouum non est, eandem rem variis Imperatorum edictis & Senatusconsultis ordinatam esse. Ita quod in Senatusconsulto Velleiano accidisse notum est (l), idem etiam in hoc ipso argumento euenit. Nam quod hac CLAVDII oratione

(k) L. un. C. Tb. de mulieribus quae se seruis propriis iunxerunt (IX. 9.)
L. un. C. eod.

(l) L. 2. D. ad SC. Velleian.